

NAVIGATIO SANCTI BRENDANI.

CAPUT I

Sanctus Brendanus, filius Finlocha, nepotis Alti de genere Eogeni, e stagnile regione Mimensium ortus fuit. Hic erat vir magnae abstinenciae et virtutibus clarus, triumque fere millium pater fuit monachorum. Cum autem esset in suo certamine, in loco qui dicitur *Saltus virtutum*, contigit ut quidam patrum ad illum quodam vespere venisset, nomine Barintus, nepos Neil regis; cumque interrogaretur multis sermonibus a praedicto patre, cepit lacrimari et se prosternere in terram, et diutius permanere in orationibus; sed sanctus Brendanus erexit illum de terra, et osculatus est illum, dicens: "Pater, cur tristitiam habemus in adventu tuo? Nonne ad consolationem nostram venisti? Magis laetitiam tu debes fratribus parare. Propter Deum indica nobis verbum Dei, atque refice animas nostras de diversis miraculis quae vidisti in Oceano." Tunc sanctus Barintus, expletis his sermonibus, cepit narrare de quadam insula, dicens: "Filiolus meus Mernoc nomine, procurator pauperum Christi, confugit a facie mea, et voluit esse solitarius, invenitque insulam juxta montem lapidis valde deliciosam. Post multum vero temporis, nuntiatum est mihi quod plures monachos secum haberet, et multa mirabilia per illum ostenderet Deus. Itaque perrexi illuc ut visitarem filiolum meum; cumque appropinquassem iter trium dierum, in occursum meum venit cum fratribus suis. Revelaverat enim Deus illi adventum meum; navigantibus enim nobis in praedictam insulam processerunt obviam sicut examen apium, ex diversis cellulis suis. Erat enim habitatio eorum sparsa. Tamen unanimiter illorum conversatio in spe, fide et charitate fundata erat. Una refectio, ad opus Dei perficiendum una ecclesia est. Nihil aliud cibi ministrabatur illis, nisi poma et nuces atque radices, et cetera genera herbarum. Fratres, post completorium, in singulis cellulis usque ad gallorum cantus seu campanae pulsum pernoctabant. Dum autem ego et filiulus meus perambularem totam insulam, duxit ipse me ad littus maris contra occidentem, ubi erat navicula pusilla et dixit mihi: 'Pater ascende navem et navigemus contra orientalem plagam, ad insulam quae dicitur *terra repromissionis sanctorum*, quam Deus daturus est successoribus nostris in novissimo tempore.' Ascendentibus igitur navim nobis et navigare incipientibus, nebulae cooperuerunt nos undique in tantum ut vix possemus puppim aut proram navis videre. Transacto quasi unius horae spatio, circumfulsit nos lux ingens, et apparuit terra spatiosa et herbosa, pomiferaque valde. Cumque stetisset navis ad terram, descendimus nos et cepimus nos circumire et ambulare illam insulam per quindecim dies et non potuimus finem illius invenire. Nihil igitur herbae vidimus sine flore et arborum sine fructu: lapides enim ipsius omnes precioso genere sunt. Porro, quinto decimo die, invenimus fluvium vergentem ad orientalem plagam ab occasu; cumque considerarem haec omnia, dubium nobis erat quid agere deberemus. Placuit itaque nobis transire flumen, sed expectavimus Dei consilium. Cum haec exposuissemus inter nos, subito apparuit nobis quidam vir cum magno splendore coram nobis, qui statim propriis nominibus nos appellavit atque salutavit, dicens: 'Euge, boni fratres; Dominus enim revelavit vobis istam terram quam daturus est sanctis suis. Est enim medietas insulae istius usque ad istud flumen; vobis autem non licet transire. Revertimini ergo unde venistis.' Cum haec dixisset, interrogavimus eum unde esset, aut quo nomine vocaretur. Qui dixit mihi: 'Cur interrogas unde sim, aut quo nomine vocer? Cur non potius interrogas de ista insula? Nam sicut vides illum modo, ita ab

initio mundi permanet. Ergo indiges aliquid cibi, aut potus? Numquid fuisti oppressus somno, aut nox te cooperuit? Ergo certissime scias: dies est semper sine ulla caecitate vel caligine tenebrarum hic. Dominus enim noster Jesus Christus lux ipsius est, et nisi homines contra Dei praeceptum egissent, in hac terrae amoenitate permansissent.' Quod nos audientes, in lacrimis conversi sumus, qui postquam quievimus, confestim inchoavimus iter; et ille vir praedictus nobiscum venit usque ad littus ubi erat navicula nostra. Nobis autem navim ascendentibus, raptus est vir ille ab oculis nostris et venimus nos ad praedictam caliginem, ad insulam deliciosam. At ubi viderunt nos fratres, exultabant exultatione magna de adventu nostro, et plorabant de absentia nostra, multo tempore, dicentes: 'Cur, patres, dimisistis oves vestras sine pastore in ista silva errantes? Novimus autem abbatem nostrum frequenter a nobis discedere in aliquam partem, et ibidem demorari aliquando unum mensem aliquando duas ebdomadas aut unam, sive plus minusve.' Cum haec audissem, cepi illos confortare dicens: 'Nolite, fratres, putare aliquid nisi bonum. Vestra conversatio procul dubio est ante portam paradisi. Hic, prope est insula quae vocatur *terra repromissionis sanctorum*, ubi nec nox imminet, nec dies finitur, illamque frequentat abbas Mernoc; angeli enim Dei custodiunt illam. Nonne cognoscitis in odore vestimentorum nostrorum quod in paradiso Dei fuimus?' Tunc responderunt fratres, dicentes: 'Abba, novimus quia fuistis in paradiso Dei; nam saepe per fragrantiam vestimentorum abbatis nostri probavimus quod paene usque ad quadraginta dies nares nostrae tenebantur odore.' Quibus ergo dixi: 'Illic ego mansi duas ebdomadas cum filiolo meo, sine cibo et potu. In tantum enim satietatem corporalem habuimus, ut ab aliis videremur repleti multo. Post quadraginta vero dies, accepta benedictione fratrum et abbatis, reversus sum cum sociis meis ut redirem ad cellulam meam ad quam iturus sum cras.' His auditis, sanctus Brendanus cum omni congregatione sua prostravit se ad terram glorificantes Deum atque dicentes: "Justus est Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui revelavit suis tanta et talia mirabilia, et benedictus in donis suis qui hodie nos refecit spirituali gustu." His finitis sermonibus, ait sanctus Brendanus: "Eamus ad refectionem corporis et ad mandatum novum." Transacta autem illa nocte, et accepta benedictione fratrum, ad cellulam suam sanctus reversus est Barintus.

CAPUT II.

Igitur sanctus Brendanus de omni congregatione sua elegit bis septem fratres, inter quos fuit praeclarissimus ac Deodignus, adolescens Macutus, qui a Deo ab infantia sua est electus, et usque ad finem vitae suae permansit in Dei laudibus. Quod si quis nosse voluerit, perlegens ejus venerabilia gesta inveniet ejus opera prima et novissima quae praeclara habentur. His assumptis, venerabilis pater Brendanus conclusit se in uno oratorio cum illis, et locutus est ad eos, dicens: "Combellores mei amantissimi, consilium et adjutorium a vobis postulo, quia cor meum et cogitationes meae conglutinatae sunt in unam voluntatem; tantum si voluntas Dei est, terram, de qua locutus est pater Barintus, repromissionis sanctorum, in corde meo proposui quaerere. Quid vobis videtur, aut quod consilium mihi vultis dare?" Illi vero, agnita sancti patris voluntate, quasi uno ore dicunt omnes: "Abba, voluntas tua ipsa est et nostra. Nonne parentes nostros dimisimus? Nonne hereditatem nostram despeximus? Nonne corpora nostra in manus tuas tradidimus? Itaque parati sumus sive ad mortem, sive ad vitam tecum ire. Unum tantum est ut quaeramus Domini voluntatem." Definivit ergo sanctus

Brendanus et hi qui cum illo erant jejunium quadraginta dierum semper per triduanas agere, et postea proficisci. Transactis jam quadraginta diebus, et salutatis fratribus ac commendatis Praeposito

monasterii sui, qui fuit postea successor in eodem loco, profectus est contra occidentalem plagam cum quatuordecim fratribus ad insulam cujusdam sancti patris nomine *Aende*. Ibi demoratus est tribus diebus et tribus noctibus. Post haec, accepta benedictione sancti patris et omnium monachorum qui cum eo erant, profectus est in ultimam partem regionis suae, ubi demorabantur parentes ejus. Attamen noluit illos videre, sed cujusdam summitatem montis extendentis se in Oceanum, in loco qui dicitur *Brendani sedes*, ascendit, ibique fuit tentorium suum, ubi erat et introitus unius navis. Sanctus Brendanus et qui cum eo erant, acceptis ferramentis, fecerunt naviculam levissimam, costatam et columnatam ex vimine, sicut mos est in illis partibus, et cooperuerunt eam coriis bovinis ac rubricatis in cortice roborina, linieruntque foris omnes juncturas navis, et expendia quadraginta dierum et butyrum ad pelles praeparandas assumpserunt ad cooperimentum navis, et cetera utensilia quae ad usum vitae humanae pertinent. Tunc sanctus Brendanus praecepit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti navem intrare, cumque ille solus stetisset in littore, et benedixisset portum, ecce tres fratres supervenerunt de suo monasterio post illum, qui statim ceciderunt ante pedes ejus, dicentes: "Pater carissime, dimitte nos tecum ire in Christi caritate quo iturus es, alioquin moriemur in isto loco fame et siti. Decrevimus enim peregrinari tecum omnibus diebus vitae nostrae." Cumque vir Dei vidisset illorum angustiam, praecepit illis intrare navem, dicens: "Fiat voluntas vestra, filioli;" addiditque: "Scio quomodo vos venistis. Iste frater bonum opus operatus est; nam Deus praeparavit sibi aptissimum locum; vobis autem praeparavit detrimentum et iudicium."

Ascendit autem sanctus Brendanus in navem, et extensis velis ceperunt navigare contra solstitium aestivale. Habebant autem prosperum ventum, nihilque eis opus fuit navigare, nisi tantum vela tenere; post duodecim vero dies cessavit ventus, et ceperunt navigare usque dum vires eorum deficerent. Tunc sanctus Brendanus cepit illos confortare atque admonere, dicens: "Fratres, nolite formidare; deus enim noster nobis adiutor est, nauta et gubernator. Mittite intus omnes remiges et gubernacula; tantum dimittite vela extensa, et faciat Deus sicut vult de servis suis et de navi sua." Reficiebant autem semper ad vesperam, et aliquando ventum habebant. Tamen ignorabant ex qua parte veniebat, aut in quam partem ferebatur navis.

CAPUT III.

CONSUMMATIS autem jam quadraginta diebus, et omnibus dispendiis quae ad victum pertinebant, consumptis, apparuit eis quaedam insula ex parte septentrionali, valde saxosa et alta. Cum autem appropinquassent ad litus, viderunt ripam altissimam sicut murum, et diversos rivulos descendentes de summitate insulae, fluentes in mare. Tamen minime potuerunt invenire portum ubi staret navis. Fratres vero vexati erant valde fame et siti; singuli vero acceperunt vasa ut aliquid de aqua possent sumere. Sanctus autem Brendanus haec cum vidisset, dixit: "Nolite hoc facere, fratres; stultum est enim quod agitis, quando Deus non vult nobis ostendere portum intrandi et vultis facere rapinam; dominus enim Jesus Christus post tres dies ostendet servis suis portum et locum manendi, ut reficiantur corpora vexatorum." Cum autem circuissent per tres dies illam insulam, tertia die, circa horam nonam, invenerunt

portum ubi erat aditus unius navis, et statim sanctus Brendanus surrexit et benedixit introitum. Erat namque petra incisa ex utraque parte mirae altitudinis, sicut murus; cum vero ascendissent omnes de navi et stetissent in terra, praecepit sanctus Brendanus ut nihil de suppellectili tollerent de navi. Porro ambulantes illis per ripam maris, occurrit eis canis per quamdam semitam, et venit ad pedes sancti Brendani, sicut solent canes venire ad pedes dominorum suorum. Tunc sanctus Brendanus dixit fratribus suis: "Nonne bonum nuntium donavit vobis Deus? Sequimini eum." Et secuti sunt fratres canem illum usque ad unum oppidum.

Intrantes autem oppidum viderunt aulam magnam ac stratam lectulis et sedibus, aquamque ad pedes lavandos. Cum autem resedissent praecepit sanctus Brendanus sociis suis, dicens: "Cavete, fratres, ne Sathanas perducatur vos in temptationem. Video enim illum suadentem uni ex tribus fratribus nostris, qui post nos venerunt de nostro monasterio, de furto pessimo. Orate pro anima ejus, nam caro tradita est in potestatem Sathanae." Illa autem domus, in qua residebant, erat quasi per parietes in circuitu de appendentibus vasculis diversi generis metalli, frenisque et cornibus circumdatis argento. Tunc sanctus Brendanus dixit ministro suo, qui solebat panem apponere fratribus: "Fer prandium, quod nobis misit Deus." Qui statim surgens invenit mensam positam et linteamina et panes singulos miri candoris et pisces. Cumque oblata fuissent omnia, benedixit sanctus Brendanus prandium et fratres, et dixit: "Qui dat escam omni carni, confitemini Deo caeli." Residebant igitur fratres et magnificabant Dominum. Similiter et potum quantum volebant sumebant. Finita autem cena, et opere Dei finito, dixit praedictus vir: "Requiescite; ecce singuli lecti bene strati. Opus est nobis ut repaudentur membra nostra fessa labore nimio navigationis nostri." Cum autem fratres obdormissent, vidit sanctus Brendanus opus diaboli, id est infantem Aethiopem habentem frenum in manu, et vocantem praedictum fratrem. Sanctus autem Brendanus statim surrexit et cepit orare pernoctans usque ad diem. Mane vero jam facto, cum fratres ad opus Dei festinassent et post hoc iterum iter agere vellent ad navem, ecce apparuit mensa parata sicut et pridie; ita et per tres dies et per tres noctes praeparavit Deus prandium servis suis. Post haec sanctus Brendanus cum sociis suis cepit iter agere et fratribus dicere: "Videte ne aliquis ex vobis aliquid de substantia istius insulae tollat secum." At illi omnes responderunt: "Absit, pater, ut aliquis iter nostrum furto violet." Tunc sanctus Brendanus ait: "Ecce frater noster quem praedixi vobis heri habet frenum argenteum in sinu suo, quod hac nocte dedit ei diabolus." Cum haec audisset praedictus frater, jactavit frenum de sinu suo, et cecidit ante pedes sancti viri, dicens: "Pater, peccavi; ignosce et ora pro anima mea, ne pereat." Tunc prostraverunt se ad terram deprecantes Dominum pro anima fratris. Levantes autem se fratres a terra, elevatoque fratre a praedicto patre sancto, ecce viderunt Aethiopem exire parvulum de sinu illius, ululantem voce magna et dicentem: "Cur me, vir Dei, pellis de mea habitatione in qua habitavi septem annis, et facis me alienari ab hereditate mea?" Ad hanc vocem sanctus Brendanus dixit: "Praecipio tibi in nomine Domini Jesu Christi, nullum hominem laedas usque in diem iudicii;" Et conversus ad fratrem, dixit: "Sume, inquit, corpus et sanguinem Domini, quia anima tua modo egredietur de corpore, et hic habebis locum sepulturae. Frater autem tuus, qui tecum venit de monasterio in inferno habebit locum sepulture." Itaque accepta Eucharistia, anima fratris egressa est de corpore et suscepta est ab Angelis lucis, videntibus fratribus. Corpus vero ejus conditum est in eodem loco. Igitur fratres cum sancto Brendano venerunt ad litus ejusdem insulae ubi navis erat. Ascendentibus autem illis in navim, occurrit eis juvenis portans cophinum plenum panibus et amphoram aquae plenam, qui dixit eis: "Sumite benedictionem de manu servi vestri. Restat enim vobis longum iter,

donec inveniatis consolationem. Tamen non deficiet vobis panis neque aqua ab isto die usque in Pentecostem." Accepta autem fratres benedictione, ceperunt navigare in Oceanum, semperque biduanis reficiebant. Et ita per diversa loca oceani ferebatur navis. Quadam vero die viderunt insulam non longe, et cum ceperunt navigare ad illam, subvenit illis prosper ventus, ut non laborarent ultra vires.

CAPUT IV.

CUM autem navis stetisset in portu, praecepit vir Dei omnes exire de navi. Ipse autem post omnes egressus est. Circumeuntes insulam viderunt aquas largissimas manare ex diversis fontibus telluris plenas omnibus piscibus. Dixitque sanctus Brendanus fratribus: "Faciamus hic opus divinum, et sacrificemus Deo agnum immaculatum; quia hodie cena Domini est." Et ibi manserunt usque in sabbatum sanctum Paschae. Invenerunt etiam ibi multos greges ovium unius coloris, id est albi, ita ut non possent terram videre prae multitudine ovium. Convocatis autem fratribus, vir sanctus dixit illis: "Accipite quae sunt necessaria ad diem festum de grege." Illi autem acceperunt unam ovem et cum illam ligassent per cornua, sequebatur quasi domestica, sequens illorum vestigia. At ille: "Accipite, inquit, unum agnum immaculatum." Qui cum viri Dei mandata complerent, paraverunt omnia ad opus diei crastinae. Et ecce apparuit illis vir portans plenam sportellam panibus subcinericiis et alia necessaria victui. Cum haec posuisset ante virum Dei, cecidit pronus ante faciem suam tribus vicibus, ad pedes sancti patris, dicens cum lacrimis: "Unde hoc meis meritis, O margarita Dei, ut pascaris in istis sanctis diebus de labore manuum mearum?" Tunc sanctus Brendanus, elevato eo de terra, et dato ei osculo, dixit: "Fili, Dominus noster Jesus Christus providit nobis locum ubi possimus celebrare suam sanctam resurrectionem." Cum haec dixisset, cepit obsequium famulorum Dei facere, et omnia quae necessaria erant in crastinum praeparare. Allatis autem ad navim copiis, dixit vir ad sanctum Brendanum: "Vestra navicula non potest amplius portare: ego autem vobis transmittam post octo dies, quae necessaria erunt cibi et potus usque in Pentecostem." Cui vir Dei dixit: "Unde nosti in fide tua ubi nos erimus post octo dies?" Cui ait: "Hac nocte eritis in illa insula quam videtis prope, et cras usque in horam sextam. Postea navigabitis usque ad illam insulam, quae est non longe ab ista contra occidentalem plagam quae vocatur, *Paradisus avium*. Ibique manebitis usque ad octabas Pentecostes." Interrogabat quoque sanctus Brendanus illum quo modo potuissent oves tam magnae esse sicut sunt ibi; erant enim majores quam boves. Cui ille dixit: "Nemo colligit lac de ovibus in hac insula, nec illas constringit hyems, sed in pascuis semper commorantur, et ideo majores sunt hic, quam in vestris regionibus." Profectique sunt ad navem, et coeperunt navigare data vicissim benedictione. Cum autem appropinquassent ad illam insulam stetit navis, antequam portum illius potuissent obtinere. Sanctus autem vir praecepit fratribus in mare descendere, et tenere navem ex utraque parte cum funibus, donec ad portum veniret, erat enim illa insula sine herba. Silva rara erat ibi, et in litore illius nihil harenae residebat. Porro fratribus in orationibus deforis pernoctantibus, vir sanctus solus remanserat intus; sciebat enim qualis erat insula, sed noluit indicare fratribus ne terreri potius potuissent; mane autem facto, praecepit sacerdotibus ut singuli missas celebrarent, et ita fecerunt, cumque beatus Brendanus et ipse cantasset in navi, exportaverunt carnes crudas fratres de navi ut comederent illas sale, et pisces quos secum tulerant de alia insula, posueruntque cacabum super ignem; cum autem ministrassent ligna igni, et fervere cepisset cacabus, cepit illa insula se movere sicut unda. Fratres vero cucurrerunt ad navem, implorantes

patrocinium patris sui. Pater autem singulos illos per manus intus in navem traxit, relictisque omnibus delatis in insula illa, navim solverunt ut abirent. Porro eadem insula mersit se in Oceanum. Jamque potuerant ignem ardentem ultra duo videre miliaria, et sanctus Brendanus ita fratribus cepit exponere quid hoc esset: "Fratres, miramini quid haec fecit insula?" Aiunt: "Admiramur, pater, valde, et ingens pavor penetravit nos." Qui dixit ad illos: "Filioli, nolite expavescere; Deus enim revelavit mihi hac nocte sacramentum hujus rei. Insula non est ubi fuimus, sed piscis omnium prior natantium in Oceano, et quaerit semper ut suam caudam jungat capiti suo; sed non potest prae longitudine. Hic habet nomen Jasconius." Cum autem navigarent juxta insulam ubi per triduum fuerant antea, et venissent ad summitatem illius, contra Occidentem viderunt aliam insulam prope junctam, interveniente freto non magno, herbosam valde et nemorosam et plenam floribus. Ceperuntque tendere ad portum insulae.

CAPUT V.

Sed navigantes contra meridianam plagam ejusdem insulae, invenerunt rivulum vergentem in mare, ubi naviculam terrae applicuerunt. Exeuntibus autem fratribus de navi, jussit vir sanctus ut ipsam navem contra alveum fluminis funibus traherent. Erat autem tantae latitudinis flumen quantae erat navis. Traxerunt ergo navem unius spatio miliarii, donec ad fontem venirent ejusdem fluminis, sancto viro intus sedente. Considerans autem sanctus pater, dixit: "Ecce, fratres, Dominus dedit nobis locum aptum in sua sancta resurrectione manendi:" et addidit: "Si non haberemus alia stipendia, sufficeret nobis, ut credo, ad victum et potum fons iste." Erat enim fons admirabilis nimis. Super ipsum fontem autem erat arbor ingens, mirae latitudinis, sed non magnae altitudinis, cooperta avibus candidissimis, in tantum ut rami ejus et folia minime viderentur. Cumque haec vidisset vir Dei, cepit intra se cogitare quidnam esset aut quid causae foret, quod tanta avium multitudo in unam possit esse collectionem. Quae res tantum viro Dei taedium genuit, ut etiam lacrimas fundendo genibus provolutus Dominum precaretur, dicens: "Deus, cognitor incognitorum et absconditorum revelator, tu scis angustiam cordis mei; ideo precor te, ut mihi peccatori digneris per tuam magnam misericordiam, revelare tuum secretum, quod modo prae oculis meis video. Non hoc autem dignitatis proprie merito, sed tuae clementiae respectu praesumo." His dictis, ecce una ex illis avibus volavit de arbore. Sonabant autem alae ejus sicut tintinnabula contra navem ubi vir Dei sedebat. Quae cum sedisset in summitate prore, cepit alas extendere in signum laetitiae, et placido vultu aspicere sanctum patrem Brendanum. Tunc vir Dei intelligens quia Deus recordatus esset ejus deprecationem, ait ad avem: "Si nuntius Dei es, narra mihi unde sint aves istae, aut pro qua re illarum collectio hic sit." Quae statim ait: "Nos sumus de magna illa ruina antiqui hostis; sed non peccando aut consentiendo sumus lapsi; sed ubi sumus creati, per lapsum istius cum suis satellitibus contigit nostra ruina. Deus autem omnipotens, qui justus est et verax, suo judicio misit nos in istum locum. Poenas non sustinemus. Praesentiam Dei ex parte nos videre possumus, tantum alienavit nos a consortio illorum, qui steterunt. Vagamur per diversas partes hujus seculi, aeris et firmamenti et terrarum sicut et alii spiritus qui mittuntur. Sed in sanctis diebus dominicis, accipimus corpora talia quae tu vides, et per Dei dispensationem commoramur hic et laudamus creatorem nostrum. Tu autem cum fratribus tuis habes unum annum in itinere, et adhuc restant sex. Et ubi hodie celebrastis Pascha, ibi omni anno celebrabitis, et postea invenies quae praeposuisti in corde tuo, id est terram repromissionis sanctorum." Et cum hoc dixisset, levavit se de prora illa avis, et ad alias reversa est. Cum autem

vespertina hora appropinquasset, ceperunt omnes quasi una voce cantare percutientes latera, atque dicentes: "Te decet hymnus Deus in Syon, et tibi reddetur votum in Jerusalem." Et semper reciprocabant

praedictum versiculum quasi per spatium unius horae, et audiebatur illa modulatio et sonus alarum, quasi carmen cantus prae suavitate. Tunc sanctus Brendanus ait fratribus suis: "Reficite corpora vestra, quia hodie animas vestras divina resurrectione Dominus satiavit." Finita autem cena, pactoque opere divino, vir Dei et qui cum illo erant dederunt corpora quieti, usque ad tertiam noctis vigiliam. Evigilans vero vir Dei suscitavit fratres ad vigiliam noctis, sanctae incipiens illum versiculum: "*Domine, labia mea aperies.*" Finita autem viri Dei sententia, omnes aliae aves alis et ore sonabant dicentes: "*Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus.*" Similiter ad vesperam per spatium unius horae semper cantabant; cum autem aurora refulsisset, ceperunt cantare, "*et sit splendor Domini Dei nostri super nos*" equali modulatione et longitudine psallendi sicut in matutinis laudibus. Similiter ad tertiam horam versiculum istum: "*Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite sapienter.*" Ad sextam: "*Illuminavit Dominus vultum suum super nos, et misereatur nostri.*" Ad nonam autem psallebant: "*Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum.*" Ita die et nocte illae aves reddebant laudes Deo. Igitur haec videns sanctus Brendanus, gratias referebat Deo super omnibus mirabilibus suis, et usque in octavum diem festivitatis paschalis reficiebantur fratres cibo spirituali.

Consummatis itaque diebus festis, dixit sanctus Brendanus: "Accipiamus de isto fonte stipendia; usque modo non fuit nobis opus, nisi ad manus vel ad pedes abluendos." His dictis, ecce praedictus vir cum quo fuerunt triduo ante Pascha, qui tribuit illis alimenta paschalia, venit ad illos cum sua navi victu atque potu referta. Allatis itaque omnibus de navi coram sancto patre, locutus est ad illos vir Dei dicens: "Viri fratres, ecce habetis sufficientia usque ad sanctam Pentecostem; sed nolite bibere de hac fonte, fortis namque est ad bibendum. Natura enim illius est talis: quisquis bibit ex eo, statim super eum sopor est, et non vigilat donec compleantur viginti quatuor horae. Dum autem a fonte manat foras, habet saporem aquae et naturam." Post haec verba, accepta benedictione sancti patris, reversus est in locum suum. Sanctus Brendanus mansit in eodem loco cum fratribus suis usque, in Pentecostem. Erat enim refociliatio illorum avium cantus. Die vero Pentecostes, cum sanctus vir Brendanus cum fratribus missam celebrasset, venerabilis procurator eorum advenit portans omnia quae ad opus diei festi erant necessaria. Cum autem simul discumberent ad prandium, locutus est ad illos vir idem, dicens: "Fratres, restat vobis magnum iter. Accipite de isto fonte vestra vascula plena, et panes siccus, quos possitis servare in alium annum; et ego vobis tribuam quantum vestra navis portare potest." Cum autem haec perfinita essent, accepta benedictione, reversus est. Sanctus itaque Brendanus post octo dies fecit onerare navem de omnibus quae sibi tribuit praedictus vir, et de illo fonte omnia vascula implere fecit. Ductis itaque omnibus ad litus, ecce praedicta avis venit et in prora navis consedit. At vero vir sanctus quia aliquid sibi vellet indicare cognoscens substitit. Illa autem assumpta humana voce: "Nobiscum, inquit, celebrastis diem sanctum Paschae isto anno. Celebrabitis nobiscum ipsum diem et in futuro anno. Et ubi fuistis in anno praeterito in cena Domini, ibi eritis in anno venturo in praedicta die. Similiter noctem Dominicam Paschae celebrabitis ubi prius celebrastis super dorsum scilicet beluae Jasconii, invenietisque post octo menses insulam quae vocatur *Ailbey*. Ibi celebratis nativitatem Christi." Cum haec dixisset, reversa est in locum suum.

CAPUT VI.

Fratres autem ceperunt extendere vela et navigare in Oceanum; et aves cantabant quasi una voce: "*Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae et in mari longe.*" Igitur pater sanctus Brendanus, cum suis fratribus super aequora Oceani huc atque illuc agitabatur per tres menses, nihilque poterant videre nisi caelum et mare, et reficiebant semper post biduum aut triduum. Quadam vero die apparuit eis insula non longe. Cum autem appropinquassent ad litus, traxit illos ventus in partem, et ita per quadraginta dies navigaverunt per insulae circuitum, et non poterant portum invenire. Fratres autem peccati sunt Dominum cum fletu, ut illis adiutorium praestaret. Vires eorum prae nimia lassitudine jam paene defecerant. Cum autem permansissent in crebris orationibus per triduum pariter et abstinentia, apparuit illis portus angustus, unius navis tantum receptabilis, et duo fontes, unus turbidus, et alter clarus. Fratribus autem festinantibus ad hauriendam aquam; vir Dei ad eos dixit: "Filioli, nolite facere illicitam rem. Sine licentia seniorum qui sunt in hac insula nihil sumatis; tribuent enim spontanee quae vultis furtim auferre."

Igitur descendentes de navi et considerantibus qua parte ituri essent, occurrit illis senex nimia senectute confectus, cujus capilli nivei erant coloris, et facies clara. Qui cum tribus vicibus sese ad terram prostravisset antequam oscularetur Dei virum, ille et qui cum illo erant elevaverunt eum de terra, seque invicem osculati sunt. Tunc tenuit manum sancti patris idem senex, et ivit cum illo per spatium stadii unius, usque ad monasterium. Tunc sanctus Brendanus substitit ante portam monasterii, et dixit seni: "Cujus est istud monasterium, aut quis praeest ibi?" Ita sanctus pater diversis sermonibus interrogabat senem; sed nunquam poterat ab illo ullum responsum accipere; sed tantum incredibili mansuetudine, manu silentium insinuabat. Ut autem agnovit pater decretum loci illius, fratres suos ammonuit dicens: "Custodite ora vestra a locutionibus, ne polluantur isti fratres per scurrilitatem vestram." His auditis, ecce undecim fratres occurrunt obviam cum capis et crucibus, et hymnis dicentes istum versiculum: "Surgite sancti de mansionibus vestris, et proficiscimini obviam nobis. Locum sanctificate, plebem benedicite, et nos, famulos vestros, in pace custodire dignemini." Finito hoc versiculo, pater monasterii osculatus est Brendanum et suos socios per ordinem. Similiter et ejus famuli osculati sunt familiam sancti viri. Data pace vicissim, duxerunt illos in monasterium, sicut mos est in occiduis partibus. Post haec, abbas monasterii cum suis sociis monachis, cepit lavare pedes eorum, et cantare "mandatum novum". His finitis, cum silentio magno duxit illos ad refectionem, pulsatoque signo et lotis manibus fecit omnes residere. Iterum pulsato signo surrexit unus ex fratribus monasterii, ministrans mensam panibus miri candoris, et quibusdam radicibus incredibilis saporis. Sedebant autem fratres mixti cum hospitibus in ordine suo. Inter fratres duos panis integer ponebatur. Iterum minister, pulsato signo, ministravit fratribus. Abbas autem hortatus est eos cum magna hilaritate dicens: "Fratres, ex hoc fonte de quo hodie furtim bibere volebatis, ex illo modo facite caritatem cum jocunditate et timore Domini. Ex alio fonte turbido quem vidistis, lavantur pedes omni die quia omni tempore calidus est. Panes vero hos quos videtis nobis ignotum est ubi praeparantur, aut quis apportat ad cellarium nostrum. Sed hoc notum est quod ex Dei dono in elemosina ministrantur nobis per aliquam subjectam creaturam, et fit in nobis quod veritas dicit: Timentibus Deum nihil deest. Sumus vero viginti quatuor fratres cotidie qui habemus duodecim panes ad nostram refectionem, inter duos semper singulos panes. In festivitatibus autem et dominicis diebus addit Dominus nobis integros panes singulis fratribus, ut

cenam habeant ex fragmentis et modo in adventu vestro duplicem annonam habemus; et ita nos Christus semper nutrit a tempore sancti Patricii, et sancti Ailbei patrum nostrorum, usque modo per octoginta annos. Attamen aut senectus aut languor in membris nostris minime amplificatur in hac insula, nihilque ad comedendum indigemus, quod igne paratur, neque frigus aut aestus superavit unquam. Sed sumus quasi in paradiso Dei, et cum tempus venit missarum aut vigiliarum, accenduntur luminaria in nostra ecclesia quae adveximus de terra nostra divina praedestinatione, et ardent semper in perpetuum, et non minuitur ullum ex his luminaribus."

Postquam autem refecti sunt et biberunt tribus vicibus, abbas solito more pulsavit signum, et fratres unanimiter cum magno silentio et gratiarum actione, levaverunt se de mensa, antecedentes sanctos patres ad ecclesiam. Gradiebantur vero post illos sanctus Brendanus et praedictus pater monasterii. Cum intrassent in ecclesiam, ecce alii duodecim fratres exierunt obviam illis flectentes genua coram eis alacriter. Sanctus Brendanus hos videns, ait patri: "Abba, cur isti non refecerunt vobiscum? — Cui, ait pater: Propter vos. Quia non potuit nostra mensa nos omnes capere in unum. Modo reficient, quia, Deo volente, nihil illis deerit. Nos autem intremus in ecclesiam, et cantemus vespertas ut fratres nostri qui modo reficiunt, possint per tempus cantare suas." Dum autem praefinissent debitum vespertinale, cepit considerare sanctus Brendanus, quomodo aedificata erat illa ecclesia. Erat enim quadrata tam longitudine quam latitudine et habebat septem luminaria ita ordinata: tria ante altare quod erat in medio, et bina ante duo altaria. Erant enim altaria de crystallo, calices et patenae, urceoli, et cetera vasa quae pertinebant ad cultum divinum, itidem ex crystallo erant, et sedilia viginti quatuor per circuitum ecclesiae. Locus autem ubi abbas sedebat, erat inter duos choros. Incipiebat ab illo una turma, et in illum finiebat, et alia turma similiter. Nullus ex utraque parte ausus erat inchoare versum nisi abbas; nec in monasterio vox ulla audiebatur, nec ullus strepitus, sed si aliquid necesse fuisset alicui fratri, ibat ante abbatem, et genu flexo ante illum postulabat quae opus illi erant. Et pater accepto stilo scribebat in tabula per revelationem Dei, et dabat fratri qui consilium postulabat ab illo. Considerante autem intra se haec omnia sancto Brendano, dixit ei abbas: "Pater, jam tempus est ut revertamur in refectorium, ut omnia fiant cum luce, sicut scriptum est: — Qui in luce ambulat, non offendit." Et ita fecerunt. Finitis omnibus secundum ordinem cursus diei, omnes cum magna alacritate festinaverunt; ad completorium. Abbas vero cum praemisisset versiculum: — *Deus in adiutorium meum intende*: dedissetque simul honorem Trinitati, subjungunt istum versiculum: "Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu qui pius es, miserere nobis, Christae Domine. In pace in id ipsum dormiam et requiescam." Post haec cantaverunt officium ad hanc horam pertinens. Jam consummato ordine psallendi exierunt fratres ad cellulas suas accipientes fratres hospites secum. Abbas vero cum sancto Brendano residens in ecclesia, luminis expectavit adventum. Brendanus autem beatus interrogavit patrem de silentio, et quomodo conversatio talis in humana carne posset servari. Tunc pater cum magna reverentia et humilitate respondit: "Abba, coram Christo fateor octoginta anni sunt ex quo venimus in hanc insulam. Nullam vocem humanam audit aliquis ab aliquo, excepto quando cantamus Deo laudes. Inter nos viginti quatuor fratres non excitatur vox, nisi per signum digiti aut oculorum, et hoc tantum a majoribus natu. Nullus ex nobis sustinuit infirmitatem unquam carnis aut spiritus qui necant humanum genus, postquam venimus in hunc locum." Sanctus Brendanus haec audiens, lacrimis perfusus, ait patri: "Nobis, quaeso, indicare digneris, licet hic nos esse an non?" Qui ait: "Non licet, quia non est Dei voluntas; sed cur me interrogas

pater? Nonne revelavit tibi Deus quae te oporteat facere antequam venires ad nos? Te enim reverti oportet in locum tuum, ubi Deus cum quatuordecim fratribus tuis praeparavit locum sepulturae tuae. De duobus vero qui supersunt unus peregrinabitur in insula quae vocatur Anacortalis; porro alter morte pessima condemnabitur apud inferos:" quod postea rei geste probavit eventus.

Cumque haec inter se loquerentur, ecce videntibus illis, sagitta ignea submissa per fenestram accendit omnes lampades quae erant positae ante altaria, et confestim per eandem fenestram reversa est sagitta in lapidibus, lumine remanente. Interrogavit autem beatus Brendanus a quo extinguerentur luminaria mane, cui ait pater: "Veni et vide sacramentum rei. Ecce tu vides ardentem candelam in medio vasculorum, tamen nihil ex illis exurit ut minus habeant aut decrescant, neque remanebit mane ulla favilla, quia lumen spirituale est." Tunc sanctus Brendanus: "Quomodo potest in corporali creatura, lumen incorporale ardere?" Respondit ille senex: "Nonne legisti rubum ardentem in monte Synai; et tamen remansit ipse rubus ab igne illaesus." Ait senex: "Legi. Quid ad haec?" Et vigilantibus his usque mane, sanctus Brendanus licentiam proficiscendi petivit cui pater: "Non, inquit, vir sancte, sed debes nobiscum celebrare nativitatem Domini, et solacium nobis praebere, usque ad octabas epiphaniae." Mansit itaque sanctus pater cum suis fratribus usque ad praedictum tempus in insula quae vocatur Ailbei.

CAPUT VII.

Transactis autem diebus, accepta benedictione a patre et fratribus, et his quae victui necessaria erant, beatus Brendanus tetendit vela in Oceanum. Ita sine navigio, sine velis ferebatur navis per diversa loca, usque ad initium quadragesimae. Quadam vero die viderunt insulam non longe ab illis. Quam cum vidissent, ceperunt alacriter navigare, quia valde erant jam vexati fame et siti. Ante triduum enim defecerat eis victus et potus; at vero cum sanctus pater Brendanus benedixisset portum et omnes exissent, invenerunt fontem lucidissimum, et herbas diversas, et radices in circuitu fontis, diversaque genera piscium discurrentium per alveum rivuli manantis in mare. Sanctus Brendanus haec videns, dixit fratribus: "Fratres, certe Deus, nobis dat consolationem post laborem. Accipite pisces quantum ad cenam nostram sufficit, et assate eos igni. Colligite etiam herbas et radices quas Dominus servis suis paravit." Et ita fratres fecerunt. Cum autem effudissent aquam ad bibendum, dixit vir Dei: "Cavete fratres, ne ultra modum utamini his aquis, ne gravius vexentur corpora nostra." At fratres inaequaliter diffinitionem viri Dei considerantes, alii singulos calices bibebant alii binos, alii vero ternos; et in alios quidem irruit sopor trium dierum et trium noctium; in reliquos vero unius diei et noctis. Sanctus vero Brendanus sine intermissione precabatur Dominum pro fratribus, quoniam per ignorantiam contigerat illis tale periculum. Transactis itaque his tribus diebus, dixit pater sociis suis: "Fugiamus filioli istam mortem, ne deterius nobis contingat. Dominus enim nobis dederat pastum, sed vos fecistis inde detrimentum. Egredimini igitur de hac insula, et accipite stipendia de piscibus quantum necesse est post triduum usque ad cenam Domini, similiter de aqua singulos calices et ex radicibus aequaliter." Cum autem onerassent navem ex omnibus quae ver Dei praeceperat, ceperunt navigare in Oceanum contra septentrionalem plagam. Porro post tres dies totidemque noctes cessavit ventus, et cepit mare esse quasi coagulatum prae nimia tranquillitate. Tunc sanctus pater dixit: " Mittite remiges in navem, et

laxate vela. Ubi cumque enim Dominus voluerit, gubernabit illam." Ita tamen navis ferebatur per viginti circiter dies. Post haec dedit illis Deus ventum prosperum. Ab occidente contra orientem ceperunt vela tendere et simul navigare, reficientes semper post triduum.

Quadam vero die, apparuit illis insula quasi nubes a longe. Tunc sanctus Brendanus ait fratribus: "Filioli, cognoscitis vos insulam illam?" At illi dixerunt: "Minime pater." At ille: "Ego, inquit, cognosco illam. Ipsa est enim in qua fuimus anno praeterito in cena Domini, ubi noster procurator bonus commoratur." Hoc audito fratres ceperunt prae gaudio acriter navigare quantum poterant vires eorum sustinere. Cum vir Dei hoc vidisset, ait: "Nolite, stulti, fatigare membra vestra! Nonne omnipotens Deus est gubernator naviculae nostrae? Dimittite eam illi, quia ipse diriget iter nostrum sicut vult." Cum appropinquassent ad litus praedictae insulae, occurrit illis isdem procurator et duxit illos ad portum ubi anno praeterito descenderant, magnificans Deum, et osculatus est pedes sancti Brendani et omnium fratrum, dicens: "Mirabilis Deus in sanctis suis." Finito jam versiculo et ablatis omnibus de navi, extendit tentorium et paravit balneum. Erat enim cena Domini, et induit omnes fratres novis vestimentis pariter et sanctum Brendanum, et fecit illorum obsequium sicut facere consueverat. Fratres vero passionem Domini celebraverunt cum magna diligentia, usque in sabbatum sanctum. Finitis autem orationibus diei sabbati immolatisque victimis spiritualibus Deo atque cena Domini consumpta, dixit ad eos idem procurator: "Ascendite navem ut celebretis dominicam noctem resurrectionis Christi, ubi celebrastis altero anno, et diem similiter usque in sextam horam. Postea navigate ad insulam quae vocatur *Paradisus avium*, ubi fuistis praeterito anno, a Pascha usque ad octabas Pentecostes. Asportate autem vobiscum omnia quae sunt necessaria vobis in cibo et in potu, et ego visitabo vos die dominica altera." Et ita fratres fecerunt. Sanctus autem, data benedictione fratri illi, fratresque omnes ascenderunt in navem, et ita navigaverunt in aliam insulam. Cum autem appropinquassent ad locum ubi descendere debebant de navi, ecce apparuit illis cacabus, quem anno altero fugientes dimiserant supra Jasconium. Descendens autem beatus Brendanus de navi, cepit cantare hymnum trium puerorum usque in finem. Finito autem hymno, vir Dei cepit admonere fratres suos, dicens: "O filioli, vigilate et orate, ne intretis in temptationem. Considerate quomodo Deus subegit immanissimam bestiam subtus nos, sine ullo impedimento." Fratres vero vigilaverunt sparsim per illam insulam usque ad vigiliam matutinas. Postea omnes sacerdotes singulas missas decantaverunt usque ad tertiam horam. Sed et beatus Brendanus cum suis fratribus ascendens in navem, immolavit agnum immaculatum Deo, et dixit fratribus: "In altero anno hic celebravimus resurrectionem dominicam. Itaque volo si Deus permiserit celebrare et hoc anno." Inde profecti, venerunt ad illam insulam quae vocatur paradisus avium. Appropinquantibus autem illis ad portum ejusdem insulae, omnes illae aves cantare ceperunt una voce dicentes: "Salus Deo nostro sedenti super thronum et agno." Et iterum: "Deus Dominus illuxit nobis. Constituite diem sollemnem in condensis usque ad cornu altaris." Et tam vocibus quam alis resonaverunt, donec sanctus pater cum suis fratribus et omnibus qui in navi erant, fuit in tentorio suo receptus. Ibi quoque cum fratribus suis celebravit festa paschalia usque ad octabas Pentecostes. Praedictus namque procurator venit ad illos sicut promiserat die dominica octavarum Paschae portans secum quae ad usum vitae pertinebant, et gaudentes invicem gratias egerunt Deo. Cum autem resedissent ad mensam, ecce praedicta avis consedit in prora naviculae extensis alis ac strepitentibus sicut sonitum organi magni. Agnovit igitur vir sanctus quia volebat ei aliquid indicare, ait namque avis: "Deus omnipotens et clemens praedestinavit vobis quatuor loca per quatuor tempora, usque dum finiantur septem anni peregrinationis vestrae.

Porro cena dominica, cum vestro procuratore qui praesens adest, omni anno. Eritis in dorso beluae vigilias Paschae celebrantes. Nobiscum autem eritis in festis paschalibus, usque ad octavas enthecostes. Apud insulam vero Ailbei, a Nativitate usque ad Purificationem sancte Virginis Marie. Post septem annos, antecedentibus magnis ac diversis periculis, vos invenietis terram repromissionis sanctorum, quam quaeritis, et ibi habitabitis quadraginta diebus; et postea reducet vos Deus ad terram nativitatis vestrae." Sanctus Brendanus haec audiens, lacrimis profusus, prostravit se ad terram cum fratribus, referens laudes et gratias creatori omnium. Avis autem reversa est in locum suum, finitaque refectione procurator, dixit: "Deo adjuvante revertar ad vos in die adventus Spiritus sancti super Apostolos, cum expendiis vestris." Et sic accepta benedictione, reversus est in locum suum.

CAPUT VIII.

PORRO, venerabilis pater mansit ibi cum fratribus statuto tempore. Consummatis itaque diebus, sanctus vir jussit fratribus preparare navigium, et implere omnia vascula ex fonte. Ducta autem jam navi in mare, ecce praedictus vir cum navi sua venit onerata escis, cumque omnia posuisset in naviculam viri Dei, osculato viro sancto Brendano et cunctis fratribus, reversus est unde venerat.

Vir autem sanctus cum suis fratribus navigavit in Oceanum, et ferebatur navis per quadraginta dies. Quadam vero die apparuit illis immensae magnitudinis piscis post illos natans, qui jactans de naribus spumas, sulcabat undas velocissimo cursu, ut devoraret illos. Quod cum vidissent fratres, clamaverunt ad Dominum dicentes: "Domine, qui finxisti hominem, libera nos famulos tuos." Ad patrem autem clamaverunt: "Pater, succurre! Pater succurre!" Sanctus autem Brendanus oravit Dominum dicens: "Libera, nos Domine servos tuos, ne devoret illos bestia ista." Et confortans fratres ait: "Nolite expavescere modice fidei. Deus qui semper noster defensor est, ipse nos liberabit de ore istius beluae, et de omnibus periculis." Appropinquante autem illa, antecedeabant eam undae mirae magnitudinis, usque ad marginem navis. Fratres magis ac magis timebant: venerabilis quoque senex manibus extensis in caelum, dixit: "Domine, libera nos servos tuos sicut liberasti David de manibus Goliae gigantis, et Jonam de potestate ceti magni." Finitis his precibus, ecce ingens belua ab Occidente obviam venit alteri bestiae, quae cum emisisset ignem ex ore suo, iniit bellum contra illam. At senex ait fratribus: "Videte, filii, magnalia Redemptoris nostri. Videte obedientiam quam Creatori suo exhibet creatura. Modo expectate finem rei. Nihil enim ingeret nobis haec pugna mali. Magis glorie Dei reputabitur." His dictis, misera belua, quae prosequabatur famulos Dei, interfecta est et in tres partes divisa coram illis, et altera reversa est, unde venerat, post victoriam. Altera die viderunt insulam procul herbosam nimis, et valde spatiosam. Appropinquantibus autem illis ipsius insulae littori, et de navi exire volentibus, visa est eis pars posterior illius beluae, quae interfecta fuerat. Tunc sanctus Brendanus ait fratribus: "Ecce inquit, quae devorare voluit nos. Ipsam devorate, et de ejus carnibus saturamini. Expectabitis enim longum tempus in hac insula. Levate naviculam altius in terram, et quaerite locum tentorio aptum." Ipse autem pater praedestinavit illis locum ad habitandum. Cum autem fecissent fratres secundum praeceptum viri Dei, ac misissent omnia utensilia in tentorium, ait ad illos: "Accipite stipendia de ista bellua, quae sufficient nobis per tres menses. Hac enim nocte erit illud cadaver devoratum a bestiis." Fratres autem asportaverunt carnes quantum eis opus erat secundum praeceptum sancti patris. Perfectis his omnibus,

fratres dixerunt sancto patri: "Abba, quomodo possumus hic sine aqua vivere?" Quibus ille ait: "Numquid, difficile est Deo vobis tribuere aquam plusquam victum? Ite ergo contra meridianam partem insulae. Illuc invenietis fontem lucidissimum, et herbas multas ac radices, et inde mihi stipendia sumite secundum mensuram;" et invenerunt omnia sicut vir Dei praedixerat. Mansit ergo ibi sanctus Brendanus tres menses quia erat tempestas in mari et ventus fortissimus et inaequalitas aeris de grandine et pluvia. Fratres vero ibant videre quod dixerat vir Dei de illa belua, nam cum venirent ad locum ubi cadaver antea fuit, nihil invenerunt praeter ossa. Illi autem ad virum Dei reversi, dicebant: Abba, sicut dixisti ita est. Quibus ille ait: "Scio, filioli, et vos voluistis probare an verum dixerim?" Fratres vero dixerunt: "Certe pater verum est." Qui ait: "Aliud signum vobis dicam. Portio cujusdam piscis qui ereptus est de sagena piscantium, hac nocte veniet huc, et cras reficiemini vos inde." Sequenti vero die exierunt fratres ad locum, et invenerunt sicut praedictum erat a Dei viro, et attulerunt quantum portare poterant. Ait illis venerabilis pater: "Ista diligenter servate, et sale condite, erunt enim nobis necessaria. Faciet enim Dominus serenum tempus hodie et cras, et post tertium cras cessabit tempestas maris et fluctuum; et postea proficiscemini de loco isto."

CAPUT IX.

TRANSACTIS diebus praedictis, praecepit sanctus Brendanus onerare navem, et utres atque vascula implere ex fonte; herbas vero atque radices ad suum opus colligere, quia sanctus postquam sacerdotii functus est officio non comedit quidquam in quo spiritus esset vitae. Onerata vero navi ex his omnibus, extensis velis, profecti sunt contra septentrionalem plagam. Quadam die viderunt insulam longe ab illis. Tunc vir Dei ait fratribus: "Videtis insulam illam." Aiunt: "Videmus" Ait illis: "Tres populi in illa insula sunt, puerorum scilicet, juvenum ac seniorum. Et unus ex fratribus nostris peregrinabitur illic." Fratres vero interrogaverunt eum quisnam esset ex illis? Qui noluit indicare eis. Cum autem perseverassent interrogantes, et vidisset tristes, ait: "Iste est frater ille qui permansurus est ibi." Fuit autem frater unus ex illis qui subsequuti sunt sanctum Brendanum de suo monasterio, de quibus ipse praedixerat fratribus, quando ascenderunt navem in patria sua. Tantum autem appropinquaverunt insulae praedictae usque dum navis stetisset in litore. Erat autem mirae planitiae insula illa, in tantum ut videretur illis aequalis mari, sine arboribus, sine aliquo quod a vento moveretur. Valde enim erat spatiosa, tamen cooperta scaltis albis et purpureis. Ibi tres turmae, sicut vir Dei praedixerat, erant; nam inter turmam et turmam spatium erat quasi jactus lapidis de funda, et semper ibant huc atque illuc, et una turba cantabat stando in uno loco dicens: "Ibunt sancti de virtute in virtutem: videbitur Deus in Syon." Et dum una turma praefinisset istum versiculum, turma altera stabat et incipiebat praedictum carmen. Et ita faciebant sine cessatione. Erat autem prima turma puerorum in vestibus candidissimis; et secunda turma in jacinctinis, et tertia turma in purpureis dalmaticis Erat autem hora quarta quando tenuerunt portum insulae. Cum autem hora sexta venisset, ceperunt turmae cantare simul dicentes "*Deus misereatur nostri*" usque in finem, et "*Deus in adjutorium,*" et "*Credidi propter,*" et orationem ut supra. Similiter ad horam nonam alios tres psalmos: "*De Profundis, — Ecce quam bonum, — Lauda Jerusalem.*" Ad vesperas autem: "Te decet, — Benedic anima mea, — Laudate pueri Dominum" et quindecim psalmos graduum cantaverunt sedendo.

Cum autem finissent illud cantum, statim obumbravit illam insulam nubes mirae claritatis. Illi autem non potuerunt videre quae antea viderant propter claritatem nubis. Attamen audierunt voces cantantium praedictum carmen sine intermissione usque ad vigiliis matutinas, ad quas cantare ceperunt: "*Laudate Dominum de caelis*," deinde: "*Cantate domino*," et tertium: "*Laudate Dominum in sanctis ejus*." Post haec cantaverunt duodecim psalmos per ordinem psalterii, usque: "*Dixit insipiens*." At vero cum dies illucesceret, discooperta est illa insula a nube. Confestim tunc cantaverunt tres psalmos: "*Miserere mei Deus*," et "*Domine refugium*" et "*Deus Deus meus*." Ad tertiam vero alios tres: "*Omnes gentes, Deus in nomine, Dilexi quoniam*," cum alleluya. Deinde immolaverunt agnum immaculatum, et omnes venerunt ad communionem dicentes: "*Hoc sacrum corpus Domini, et Salvatoris nostri sanguinem sumite vobis in vitam aeternam*" Itaque finita immolatione agni, duo ex turba juvenum portaverunt cophinum plenum scaltis purpureis, et miserunt in navem viri Domini dicentes: "Sumite de fructu insulae virorum fortium, et reddite nobis fratrem nostrum, et proficiscimini in pace." Tunc sanctus Brendanus vocavit fratrem ad se, et ait: "Osculare fratres tuos et vade cum illis qui te vocant. Dico tibi frater quia bona hora concepit te mater tua, quia meruisti habitare cum tali congregatione." Et lacrimis profusus osculansque eum vir sanctus cum omnibus fratribus, ait illi beatus Brendanus: "Fili recordare quanta beneficia praeposuit tibi Deus in hoc seculo. Vade, ora pro nobis." Et vale dicens ei, protinus secutus est duos juvenes illos ad scolas sanctorum; ut autem viderunt illum alii sancti, cantare ceperunt hunc versiculum. "*Ecce quam bonum*," et post, alta voce personuerunt: "*Te Deum Laudamus*;" et cum osculati fuissent eum omnes, sociatus est illis. Venerabilis autem pater Brendanus cepit inde navigare. Cum autem hora prandii venisset, jussit fratribus reficere corpora de scaltis. Ipse vero apprehensa una visaque ejus magnitudine, et quia succo esset plena, admiratus ait: "Dico vobis, fratres, non reminiscor me vidisse unquam aut legisse scaltis tantae magnitudinis." Erant autem aequalis staturae in modum magnae pilae. Et, accepto vasculo, expressit unam ex illis, attulitque de succo libram unam; quam in duodecim uncias divisit deditque unicuique fratri unciam unam, sicque per duodecim dies refecerunt fratres de singulis scaltis, tenentes semper in ore saporem mellis. His diebus finitis, praecepit sanctus pater illis triduo jejunare. Quo transacto, ecce avis splendidissima evolavit e regione navis, tenens in rostro ramum cujusdam arboris ignote, habentem in summitate botrum magnum mirae rubicunditatis, quem juxta virum Dei dimittens recessit. Ille autem vocatis fratribus ait: "Sumite prandium quod Dominus misit nobis." Erant autem uvae illius sicut malum; quas vir Dei divisit fratribus per singulos. Et ita habuerunt victum per quatuor dies. His expletis, iterum cepit praedictum jejunium cum fratribus suis agere. Tertia denique die viderunt non longe insulam totam coopertam arboribus densissimis, habentibus fructus praedictarum uvarum incredibili fertilitate; ita ut omnes rami arborum illarum incurvati essent usque ad terram, et omnes unius fructus, unius coloris. Nulla erat arbor sterilis, nullaque alterius generis in eadem insula. Tunc fratres tenuerunt portum. Vir autem Dei descendens de navi, cepit circumire illam. Erat autem illius odor, sicut odor domus plenae malis punicis. Fratres vero expectaverunt in navi, donec ad eos vir Dei rediret. Iterum flavit eis ventus odore suavissimus, et de flagrantia arborum ita refecti sunt, ut jejunium suum etiam temperare putarentur. At venerabilis senex invenit sex fontes irriguos, herbis virentibus ac radicibus diversi generis. Post haec reversus ad fratres, portans secum de primitiis insulae, dixit illis: "Exite de navi et figite tentorium et confortamini et reficite vos de optimis fructibus terrae istius quam Dominus ostendit nobis." Sicque per quadraginta dies refecti sunt uvis et herbis, ac radicibus fontium.

Post quod tempus ascenderunt navem portantes secum de fructibus terrae illius. Ascendentes autem laxaverunt vela ubicumque ventus direxisset navem; et cum navigarent apparuit illis avis quae vocatur *gripha*, volitans contra illos. Quam cum vidissent fratres, sancto patri dixerunt: "Pater, succurre, quia ad devorandum nos venit ista bestia." Quibus ait vir Dei: "Nolite timere eam. Dominus enim noster adjutor est." Venit autem quaedam avis obviam griphae rapidissimo volatu, et ambiguo eventu bellando confecta. Tandem evulsis ejus oculis, superavit atque interemit eam, et cadaver ejus coram fratribus cecidit in mare. Quod videntes fratres laudes dederunt Deo. Avis autem victrix reversa est in locum suum. In insula vero Ailbei celebraverunt Natalem Domini. His finitis diebus, sanctus Brendanus accepta benedictione patris monasterii, circuit cum fratribus Oceanum per multum tempus. Tantummodo ad Pascham et Nativitatem Domini habebat requiem in praedictis locis.

CAPUT X.

QUODAM vero tempore, cum sanctus Brendanus celebraret beati Petri festivitatem in sua navi, invenerunt mare tam clarum ut videre possent ea quae subtus erant. Viderunt etenim diversa bestiarum genera subter jacentia, videbaturque illis quod si vellent possent illas prae nimia claritate maris manu tangere in profundo. Erant enim quasi greges jacentes in pascuis prae multitudine, sicut civitas in gyro applicantes capita in posterioribus. Rogaverunt autem venerabilem virum Dei fratres, ut cum silentio missam celebraret, ne bestiae auditu peregrino ad prosequendum servos Dei concitarentur. Sanctus vero pater subridens, dixit illis: "Miror valde stultitiam vestram. Cur timetis istas bestias? Nonne omnium bestiarum maxima devorata est? Sedentes vos et psallentes saepe in dorso ejus fuistis, et silvam scindistis, et ignem accendistis, et carnem ejus coxistis. Cur ergo timetis istas? Deus enim noster Dominus Jesus est Christus, qui potest humiliare omnia animantia." Cum haec dixisset, cepit altius cantare, fratres namque aspiciebant semper bestias. Cum audissent vocem viri Dei, a fundo levantes se, natate ceperunt in circuitu navis; ita ut nihil aliud fratres possent videre praeter multitudinem natantium. Non tamen appropinquaverunt naviculae, sed longe natabant huc atque illuc, donec vir Dei finisset missam. Post haec quasi fugiendo per diversas semitas Oceani a facie servorum Dei enataverunt. Vix itaque per octo dies prospero vento extensis velis potuerunt mare clarum transmeare.

Quadam vero die cum celebrassent ter missas, apparuit illis columna in mari, quae non longe ab illis videbatur; sed tamen non potuerunt ante tres dies attingere illam. Cum autem appropinquassent, vir Dei aspicere cepit summitatem illius; minime enim potuit videre eam prae altitudinem; namque altior erat aere. Porro cooperta erat tam raro conopeo, ut navis non posset transire per foramen illius. Ignorabant autem ex qua materia factus esset ipse conopeus. Habebat vero colorem argenteum, et durior visus est illis quam marmor. Columna vero de cristallo clarissimo erat, at vir Dei ait fratribus: "Mittite remiges vel remos intus in navi, et arborem atque vela, et alii ex vobis teneant interim fibulas conopei." Spatium namque tenebat praedictus conopeus a columna, quasi unius miliarii; et ita extendebatur in profundum. Quo facto, ait vir Dei ad illos: "Mittite navim intus per aliquod foramen, ut videamus diligenter magnalia Creatoris nostri." Cum autem foramen intrassent et aspicerent huc atque illuc, mare apparuit quasi vitreum prae claritate; ita ut omnia quae subtus erant possent videre; nam bases columnae poterant considerare, et summitatem similiter conopei jacentem in terram. Lux vero

solis non minor intus erat quam foris. Tunc sanctus Brendanus mensurabat foramen unum inter quatuor conopeos quatuor cubitis in omnem partem. Igitur navigantes per totem diem juxta unum latus illius columnae, semper umbram solis et calorem poterant sentire usque ultra horam nonam. Sic et ipse vir Dei mensuravit in illam quadringentis cubitis, et mensura una per quatuor latera illius columnae erat, sicque quadriduum operatus est vir Dei. Quarto vero die invenerunt calicem de genere conopei, et patenam de colore columnae contra austrum. Quae statim vascula vir sanctus apprehendit dicens: "Dominus noster Jesus Christus ostendit nobis hoc miraculum, et ut ostendatur multis ad credendum, dedit nobis bina munera." Praecepit autem vir sanctus fratribus divinum officium peragere, et postea corpora reficere. Illi enim nullum sustinuerant ibi, ex quo viderunt illam columnam. Transacta itaque nocte illa, ceperunt navigare contra Septemtrionem. Cum autem transissent quoddam foramen, posuerunt arborem et vela in altum, et alii ex fratribus tenuerunt fibulas conopei quousque omnia praeparassent in navi. Extensis autem velis cepit prosper ventus post illos flare, ita ut non opus esset fratribus navigare, sed tantum funiculos et gubernacula tenere, et ferebantur per octo dies contra aquilonem.

CAPUT XI.

Transactis autem diebus octo, viderunt insulam valde rusticam et saxosam, atque scoriosam sine herba et arboribus, sed et plenam officinis fabrorum. Venerabilis autem pater ait fratribus: "Vere, fratres, angustia est mihi de hac insula. Nolo in illam intrare aut appropinquare illuc; sed ventus trahit nos illuc cursu recto; circumdabitur enim illo limite." Ergo cum illi praeterissent paulum, quasi jactum lapidis, audierunt sonitum follium sufflantium quasi tonitrua, atque malleorum collisiones contra ferrum et incudes. His auditis, venerabilis senex armavit se dominico trophaeo per totum corpus, dicens: "Domine Jesu Christi, libera nos de hac maligna insula." Finito sermone viri Dei, ecce unus ex habitatoribus ejusdem insulae egressus est foras, quasi ad opus aliquod peragendum. Hispidus ille valde erat et horribilis, igneus atque tenebrosus. Cum autem vidisset famulos Christi juxta insulam, reversus est in suam officinam dicens: "Heu! heu! heu!"

Vir autem Dei iterum se armavit signo crucis et ait fratribus: "Filioli, tendite altius vela, et simul navigate quamtotius, fugiamus istam insulam." Quo audito, ecce praedictus barbarus occurrit illis ad litus, portans forcipes in manibus et massam igneam de scoria immensae magnitudinis atque fervoris, quam super famulos Christi confestim jactavit; sed minime nocuit illis, quia muniti erant vexillo crucis. Transivit enim juxta illos quasi unius spatium stadii. Ubi autem cecidit in mare, cepit fervere quasi prunae igneae, et ascendit fumus de mari sicut de clibano ignis. At vir Dei cum pertransisset spatium unius miliarii ab illo loco ubi ceciderat massa, omnes qui in illa insula erant conglobati, in unum occurrerunt ad litus, portantes singuli singulas massas. Alii jactare ceperunt post famulos Christi massas in mari; post alterutrum jactabant massas suas. Post haec autem omnes reversi ad officinas suas, incenderunt eas, et apparuit illa insula quasi tota ardens sicut unus globus. Et mare aestuavit sicut unus cacabus plenus carbonibus, quando bene ministratur ab igne, et audierunt fratres per totum diem ululatum. Et quando etiam non poterunt videre illam insulam, ad aures eorum veniebant ululatus habitantium in ea, et ad nares eorum ingens fetor. Tunc sanctus pater Brendanus monachos suos cepit confortare dicens: "O

milites Christi, roboramini in fide non ficta et in armis spiritualibus, quia sumus modo in confinio infernorum. Propterea vigilate et agite viriliter."

CAPUT XII.

Altero vero die apparuit illis mons magnus et altus in Oceano contra septentrionalem plagam non longe, sed quasi per tenues nebulas, et valde fumosus erat in summitate. Et statim, cursu rapidissimo, ventus traxit illos ad litus ejusdem insulae, usque dum navis resedit non longe a terra. Erat namque ripa immense altitudinis, ita ut summitatem illius vix possent videre, et coloris carbonum et mirae rectitudinis sicut murus. Unus quidem qui remanserat ex illis tribus fratribus, qui secuti fuerant patrem Brendanum de suo monasterio exilivit foras de navi, et cepit ambulare usque ad fundamentum ripae, et cepit gemere ac clamare dicens: "Vae mihi, pater, quia praedor a vobis, et non habeo potestatem revertendi ad vos." Fratres vero tremore percussi, confestim retro a terra navim duxerunt, et clamaverunt ad Dominum cum gemitibus dicentes: "Miserere nobis, Domine, miserere nobis!" At vero pater beatus Brendanus quo modo ducebatur ille infelix a multitudine demonum inspiciebat, et quomodo incendebatur inter illos. Videns autem hoc pater Brendanus dixit: "Vae tibi misero, quia recepisti vitae tuae talem finem." Post haec autem arripuit eos prosper ventus, et cepit eos minare ad australem plagam. Cum autem aspexissent retro, viderunt montem illius insulae discoopertum a summo, flammamque spumantem ad aethera, et iterum ad se easdem flammis respirantem ita ut totus mons usque ad mare unus rogos appareret. Igitur post hanc terribilem visionem ceperunt navigare contra meridiem, itinere septem dierum. Post haec autem pater Brendanus vidit quasi nebulam densissimam, et cum appropinquassent, apparuit eis quaedam formula quasi hominis sedentis supra petram et velum ante illum mensura unius sacci pendens inter duas forcipes ferreas, et sic agitabatur fluctibus sicut navicula quando periclitatur a turbine. Quod videntes fratres, alii putabant quod avis esset; aliis autem navim esse putantibus, vir Dei respondit illis: "Dimittite hanc contentionem fratres, et dirigite navem usque ad locum." Cum vero vir Dei appropinquasset illuc, restiterunt undae in circuitu quasi coagulate. Invenerunt autem hominem sedentem super petram hispidum ac deformem, et ex omni parte quando undae affluebant ad illum, percutiebant illum usque ad verticem. Quando vero recedebant, apparebat illa petra nuda in qua sedebat infelix homo. Pannum vero qui pendebat ante illum aliquando ventus movebat, percutiebatque eum per oculos et frontem. Interrogante autem beato viro quis esset, aut pro qua culpa ibi missus esset, quidque meruisset ut talem paenitentiam sustineret, ait: "Ego sum infelicissimus ille Judas, negotiator pessimus. Non autem pro ullo merito habeo istum locum, sed pro misericordia ineffabili Jesu Christi. Nunquam mihi expecto paenitentiae locum, sed pro indulgentia et pietate Redemptoris mundi, et pro honore resurrectionis suae sanctae hoc habeo refrigerium (erat autem dominicus dies), et quando hic sedeo, videtur mihi quasi in paradiso deliciarum sim, propter tormentorum poenas, quae mihi futurae sunt in hoc vespere; nam quando sum in poenis, ardeo sicut massa plumbi liquefacta in olla die ac nocte, in medio montis quem vidistis: ibi est Leviatan cum suis satellitibus, et ego ibi eram quando deglutivit fratrem vestrum; et ideo letabatur infernus, et misit ingentes flammis, et sic facit semper quando animas impiorum devorat. Ut autem sciatis immensam Dei pietatem, narrabo vobis meum refrigerium. Meum autem refrigerium habeo hic omni die dominica a vespere usque ad vesperam, et a Nativitate Domini usque ad Theophaniam, et a Pascha

usque ad Pentecostem, et in Purificatione beate Marie et in ejus sancta Assumptione. Ceteris autem diebus crucior cum Herode et Pilato, Anna et Caipha; et idcirco adjuro vos per mundi Redemptorum, ut intercedere dignemini ad Dominum Jesum ut liceat mihi hic esse vel usque mane ad ortum solis, ne me daemones in adventu vestro crucient atque ducant ad malam hereditatem quam praetio comparavi." Cui vir sanctus: "Fiat voluntas Domini. In hac enim nocte non eris motus a daemonibus usque cras." Iterum vir Dei interrogavit eum dicens: "Quid sibi vult iste pannus?" At ille ait: "Hunc dedi cuidam leproso quando fui camerarius Domini; sed quia meum non fuit, ideo nullum in eo refrigerium habeo; sed magis impedimentum. Nam furcas ferreas ubi pendet dedi sacerdotibus ad cacabos sustinendos. Petram autem cui semper sedeo publica via misi in fossam antequam fuissem discipulus Christi." Cum autem vespertina hora operuisset faciem Thetidis, ecce multitudo daemonum in circuitu vociferantes et dicentes: "Recede vir Dei a nobis, quia non possumus socio nostro propinquari, nisi ab illo recedas. Faciem autem principis nostri videre non audemus, donec reddamus ei amicum suum. Tu vero redde nobis morsum nostrum, et noli eum nobis tollere in hac nocte." Quibus vir Dei ait: "Non ego defendo eum, sed Dominus Jesus Christus concessit ei hac nocte hic manere." Cui aiunt daemones: "Quomodo invocasti nomen Domini super illum cum sit ipse traditor ejus." Quibus vir Dei ait: "Praecipio vobis in nomine Domine nostri Jesu Christi, ut nihil mali illi faciatis usque mane." Transacta itaque nocte, primo mane, cum vir Dei iter cepisset agere, ecce infinita multitudo daemonum operuit faciem abyssi, emittentes diras voces, atque dicentes: "O vir Dei! maledictus ingressus tuus et exitus tuus, quia princeps noster flagellavit nos nocte hac verberibus pessimis, eo quod non praesentavimus ei istum maledictum captivum!" Quibus vir Dei ait: "Non nobis sit ista maledictio, sed vobis erit; nam cui maledicitis est ille benedictus, cui benedicitis ille est maledictus." Daemones dixerunt: "Duplices sustinebit poenas in istis diebus sex infelix iste Judas pro eo quod illum defendistis in hac nocte." Quibus sanctus ait: "Non habetis vos, inquit, potestatem ullam, neque princeps vester, quia potestas Dei erit" Dixitque: "Praecipio vobis, inquit, in nomine Domine, et principi vestro, ne istum extollatis amplius cruciatibus, quam antea facere consuevistis." Cui responderunt: "Numquid tu dominus es omnium, ut tuis sermonibus obediamus?" Quibus vir Dei: "Servus sum, inquit, Domini omnium, et quicquid in nomine ipsius praecipio, fit; et non habeo ministerium nisi de his quos mihi concedit." Et ita eum sunt secuti blasphemii insectantes, donec avelleretur a Juda. Daemones autem reversi levaverunt infelicissimam animam inter se cum magno impetu et ululatu.

CAPUT XIII.

DIU autem sanctus navigavit contra meridiem, glorificans Deum in omnibus. Tertia autem die apparuit illis insula parva procul, ad quam, dum fratres acius navigare cepissent, ait vir sanctus: "Nolite fratres supra vires fatigari. Septem enim sunt anni ex quo egressi sumus de patria nostra usque in hoc Pascha quod venturum est; namque modo videbitis quemdam heremitam, nomine Paulum, spiritualem in hac insula, sine ullo victu corporali commorantem per sexaginta annos; nam viginti annis antea sumpsit cibum a quadam bestia." Cum autem appropinquassent ad litus, non potuerunt aditum invenire prae altitudine ripae illius. Erat autem parva insula et valde rotunda quasi unius stadii. In summitate illius nihil terrae, sed tantum nuda petra in modum apparebat. Longitudo et latitudo mensurae aequalis erat. Circumeuntes autem illam invenerunt portum tam strictum, ut navis proram vix capere posset, et

ascensus difficillimus erat. Vir autem Dei dixit fratribus: "Expectate hic donec revertar ad vos, quia vobis non licet intrare sine licentia viri Dei qui moratur in loco isto;" cumque pater venerabilis ad summitatem illius insulae venisset, vidit duas speluncas ostium contra ostium in latere illius insulae contra ortum solis, ac fontem parvissimum rotundum in modum patulae surgentem de petra ante ostium speluncae ubi miles Christi residebat. At ubi surgebat praedictus fons, statim petra sorbebat illum. Sanctus vero Brendanus cum appropinquasset ad ostium unius speluncae, senex de altera egressus est obviam illi, dicens: "Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum!" Cum hoc dixisset, praecepit sancto Brendano ut omnes fratres suos evocaret de navi. Quod cum fecisset, osculatus est eos vir Dei, et propriis nominibus omnes appellabat. Quo audito mirati sunt valde non solum de spiritu prophetiae, verum etiam de ipsius habitu; erat enim totus coopertus capillis capitis sui ac barbe, et ceteris pilis ad pedes. Erant enim capilli ejus candidi ad instar nivis prae senectute, nullumque ei erat indumentum praeter pilos qui egrediebantur de ejus corpore. At vero sanctus Brendanus cum hoc vidisset adjiciens suspirio suspiria, contristatus est intra se, dicens: "Vae mihi peccatori, qui porto habitum monasticum; et sub me constituti sunt multi sub nomine istius ordinis cum videam hominem angelici status, adhuc in carne sedentem in cella, et illaesum a vitiis carnis!" Cui vir Dei Paulus ait: "Venerabilis pater quanta et qualia mirabilia Deus ostendit tibi, quae nulli sanctorum patrum manifestavit; et tu dicis in corde tuo te non esse dignum portare monasticum habitum! Dico tibi, pater, quia tu es major monacho; monachus enim labore manuum suarum alitur et vestitur; Deus autem suis secretis te per septem annos pascit cum tua familia et induit; et ego miser hic sedeo sicut avis in ista petra nudus, exceptis pilis corporis mei." Querente autem beato Brendano de adventu ipsius in illum locum aut unde esset, vel quanto tempore sustinisset talem vitam, respondit ille beatus: "Ego pater nutritus fui in monasterio sancti Patricii per quinquaginta annos, et custodiebam cimiterium fratrum." Quadam vero die cum mihi designasset locum sepulturae meae decanus, ubi quidam sepeliretur defunctus, apparuit mihi quidam senex ignotus, dixitque mihi: "Noli frater hic fossam facere, quia sepulchrum alterius est." Cum ego: "Pater qui es tu?" At ille: "Cur me, inquit, non cognoscis? Nonne tuus sum abbas?" Cui dixi: "Sanctus Patricius est mihi abbas." At ille: "Ego sum. Heri enim migravi ex hoc seculo, est iste est locus sepulturae meae." designavit quae alium locum dicens: "Hic fratrem nostrum sepelies, et nulli dicas quae ego dixi tibi. Cras enim proficiscere ad litus maris, et invenies navem quae te ducet ad locum ubi expectabis diem mortis tuae. Mane vero facto secundum praeceptum patris, profectus sum ad locum praedictum; et inveni ita sicut ipse promiserat mihi. Et ascensa navi cepi navigare per tres dies, totidemque noctes. Quibus transactis, dimisi navem ubicumque ventus jactasset eam. Porro septimo die apparuit mihi ista petra, in quam statim intravi, atque pede percussi navem ut iret unde venerat. Illa autem velocissimo cursu sulcabat undas, rediens in patriam suam."

"Primo namque die quo intravi huc, circa horam nonam, una bestia paravit mihi ad prandendum piscem unum, et fasciculum de sarminibus ad focum faciendum inter suos anteriores pedes, ambulans pedibus posterioribus; cum autem posuisset ante me piscem et gramina, reversa est unde venerat. Ego vero silice ferro percusso, esca adhibita, feci ignem de graminibus et paravi mihi cibos de pisce. Et ita per triginta annos, semper die tertia, isdem minister, easdem escas, id est per tres dies piscem unum attulit. Et ita mihi penuria nulla fuit, sed nec sitis gratia Dei; nam in die dominica semper egrediebatur paxillum aquae de ista petra, unde potuissem sumere potum manusque lavare. Post triginta vero annos inveni istas duas speluncas, et istum fontem. Ab ipso vivo per sexaginta annos, sine nutrimento alterius cibi nisi

hujus fontis. Nonagenarius enim sum in hac insula, et triginta annis in victu piscium, et sexaginta in victu illius fontis, et quinquaginta fui in patria mea. Omnes enim anni vitae meae sunt centum quinquaginta, et de cetero iudicii mei diem hic expectare habeo in carne ista. Pergite igitur vestrum iter, et asportate vobiscum plena vascula de isto fonte. Necesse enim erit vobis, quia adhuc restat vobis iter quadraginta dierum usque in sabbatum Paschae; celebrabitis vero sabbatum sanctum et Pascha, atque dies sanctos ejus ubi celebrastis per sex annos; et postea accepta benedictione procuratoris vestri proficiscemini ad terram sanctiorem omnium terrarum, et ibi manebitis quadraginta dies; et postea Deus vester reducet vos incolumes ad terram nativitatis vestrae."

CAPUT XIV.

IGITUR accepta benedictione viri Dei, atque osculantes se in Christi pace, navigaverunt contra meridiem per totam quadragesimam; navis autem huc atque illuc ferebatur, et erat illis cibus aqua quam ab insula viri Dei acceperant. Per triduum autem reficiendo sine ulla esurie et siti permanserunt omnes laeti. Venerunt autem ad insulam pristini procuratoris sabbato sancto. Ille vero videns eos, occurrit eis in portu cum gaudio magno, omnesque levavit de navi propriis brachiis. Peracto vero, ut decebat, diei sancti officio, apposuit illis cenam. Facto autem vespere, ascenderunt navem et isdem vir cum illis, inveneruntque beluam solito loco, et ibi laudes Deo decantaverunt tota nocte et missas mane. Finitaque missa, cepit Jasconius ire viam suam omnibus stantibus in ejus dorso. Tunc cuncti fratres clamaverunt ad Dominum dicentes: "Exaudi nos Domine Deus noster." Beatus vero Brendanus confortare eos cepit dicens: "Fratres, quid turbamini? Nolite formidare quia nihil nobis erit mali; sed adiutor imminet itineris." Belua autem recto cursu pervenit usque ad litus insulae quae vocatur *Paradisus avium*, ibique deposuit omnes illaesos, qui demorati sunt ibi usque ad octavas Pentecostes. Transacto autem sollemnitatis tempore, procurator qui cum illis aderat praesens, dixit sancto Brendano: "Ascendite naviculam et implete utres de fonte isto. Ego quoque ero nunc socius itineris vestri atque ductor, quia sine me non potestis invenire terram quam quaeritis, id est terram repromissionis sanctorum." Ascendentibus autem illis navem, omnes aves quae in insula illa erant, cum vidissent patrem, quasi una voce dixerunt: "Prosperum iter vestrum faciat insulam procuratoris, ipso simul comitante." Ibi sumpserunt expendia ad usus quadraginta dierum. Erat autem navigium illorum contra orientalem plagam quadraginta dierum. Ille vero procurator eorum antecedebat eos, iter eorum dirigens. Transactis autem quadraginta diebus, jam vespere imminente, operuit eos caligo grandis, ita ut vix alter alterum videre posset; tunc procurator ait sancto Brendano: "Pater, scis quae est ista caligo?" Sanctus ait: "Nescio, frater." Tunc ille: "Ista caligo circumdat insulam istam, quam vos quaesistis per septem annos. Ecce videtis eam intrare in illam." Post spatium vero unius horae, circumfulsit illos lux ingens, et navis stetit ad litus. Exeuntes autem de navi, viderunt terram spatiosam ac amplam arboribus pomiferis sicut in tempore autumnii. Circumeuntes autem illam terram quamdiu fuerunt in illa, nulla nox illis adfuit, sed lux lucebat sicut sol lucet in tempore suo. Et ita per quadraginta dies lustraverunt terram illam, set finem illius minime invenire potuerunt. Quadam vero die invenerunt quoddam magnum fluvium quod nequaquam potuerunt transvadere, vergentem ad medium insulae. Vir autem sanctus ait fratribus: "Istud flumen transire non possumus, et ignoramus magnitudinem terrae istius." Haec cum intra se de hac causa volverent, ecce juvenis splendida facie, venustus aspectu, occurrit osculans eos cum magna

laetitia, et singulos eorum propriis nominibus compellans, ait: "O fratres, pax vobis sit, et omnibus qui secuti fuerunt pacem Christi." Et post haec, addidit: "Beati qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te." His dictis ait sancto Brendano: "Ecce terram quam quaesisti per multum tempus. Sed ideo non potuisti invenire eam ex quo cepistis quaerere, quia Dominus Christus voluit tibi ostendere diversa secreta sua in hoc Oceano magno. Revertere itaque ad terram nativitatis tuae, sumens tecum de fructibus istis, et de gemmis quantum potest capere navis tua. Appropinquant enim dies peregrinationis tuae, ut dormias in pace cum fratribus tuis sanctis. Post multa vero tempora, declarabitur ista terra successoribus vestris, quando Christianorum subvenerit tribulatio. Flumen vero quod videtis dividit hanc insulam, et sicut modo apparet vobis matura fructibus, ita omni tempore permanet sine ulla umbra et turpitudine. Lux enim in ea indeficienter lucet." Tunc dixit juveni sanctus Brendanus " [Dicas] Domine pater, si ista terra unquam revelabitur hominibus?" At ipse ait: "Quando altissimus Creator subjunxerit sibi omnes gentes, tunc ejus electis omnibus declarabitur ista terra." Post haec autem, pater Brendanus, benedictione accepta a juvene, cepit reverti via qua venerat, acceptis de fructibus terrae illius, et gemmarum generibus; et dimisso procuratore suo viro praedicto, qui per singula tempora refectionem sibi et fratribus paraverat, cum suis fratribus ascensa navi, per caliginem, unde venerat, navigare cepit. Quam cum pertransissent, venerunt ad insulam quae vocatur Deliciarum, ibique trium dierum peracto hospicio, sanctus Brendanus accepta benedictione a patre monasterii, recto itinere et Deo gubernatore pervenit ad monasterium suum. Quem cum fratres vidissent, glorificaverunt Deum pro recepto patrono, quibus enarravit mirabilia Dei, quae audierat et viderat. Et postea nonis Julii dies vitae suae finivit in pace, regnante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Latin version based on: Acta Sancti Brendani: original Latin documents connected with the life of Saint Brendan, patron of Kerry and Clonfert (1872)

edited by danelh.github.io